Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 897
Quelle:
Copyright:

more de Periculis Ecclesiae vel *novissimorum Temporum*, Scripti *Vol. super.* non semel indicati, hic vero in verbis: *et fideles layci habent presbiteros suos*, abrupti, monente Librario: *Defectus sequens videatur et suppleatur, si inveniatur.*

CCCXCIV.

U. 263 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 73. f. ita exaratus per duas columnas, ut facile anterioris Seculi haberi posset, rubricis distinctus et olim, ut anterior Theca indicat, *Petri Gnem de vlr.* (Ulrichsdorf, Ulrichskirchen, Ulrichsschlag?) *Presb. Pat. Dioc.* folio *praevio* habet Elenchum sat longum eorum, quibus neganda sit Communio eucharistica, quorum agmen claudunt: *Qui excogitant nouas exacciones contra commune bonum hominum, et conditores nouarum legum contra diuinas;* dein vero succinctam Chronologiam, quae incipit: *Anno a creacione mundi II^m. C. LXXXIIII. Abraham vidit tres et vnum adorauit* &c. et ita definit: *Anno 1439. Fridricus 3us dux Austrie electus est.* Codex jam ipse orditur a *Gregorii M. Pastorali*, cujus initium jam saepe relatum: *Pastoralis cure me pondera fugere* &c. Exemplum satis castigatum legit in Prooemio: *ut lectoris animus — gradiatur*, sensu meo melius, quam: *ut liber ad lectoris sui animum — gradiatur;* peccat vero mox legendo *cauta consideratione* pro *quanta*, et *doctrina destruat* pro *destituat.* In Operis conclusione habet: *bone frater* pro *bone vir*, *tabula me suscipe* pro *sustine*, *tui me apud deum meriti* pro *tui me meriti*, quorum nihil *Mauriani* notarunt.

II. *fol.* 40. Orationis dominicae sequitur Expositio, quae infit: *Pater noster. Patrem se magis quam dominum voluit dici* &c. Bonae frugis, sed videtur abrupta, nam ultra: *Dimitte nobis debita nostra* &c. nihil exponitur.

III. *fol.* 42. *Epistolae* Apostolicae vers. vulg. et primum quidem *Paulinae*, dein *Canonicae* omnes. I. *Job.* c. 5. Testimonium triplex legitur a prima manu, absque omni refectione, ut hodie in impressis Exemplaribus.

IV. *fol.* 70. p. 2. Notata quaedam de Sacerdotum dignitate et potestate circa sacra Mysteria et de modo Resurrectionis futurae Corporum, quibus adscriptum: *Anno domini 1430. Ulricus Zephff.* Antiquarius merito dicendus, ita characteres vetustiores aemulatur.

V. *fol.* 71. p. 2. alia manu *Bulla Eugenii* IV. data *Rome* 1433. VII. *kal. Jun.* qua *Urbani* IV. et *Martini* V. Constitutiones de Festo *Theophoriae* confirmantur. Init: *Excellentissimum Corporis et Sanguinis domini nostri ihesu christi sacramentum* &c. et habetur *Bullar. Cocquelin.* T. III. *Romae* 1743. p. 9. f. Adtextae sunt ab illorum utroque indultae noxarum veniae et gratiae, ad quarum calcem ita lusit Scriptor: